



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. V. Quæ liceant, aut non liceant uxori circa bona mariti

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

*s. n. 10.* quod maritus sic sit solum causa indirecta, ac remota, proinde injusta expulsio non excuset adulterium: Hinc *Cap. significasti de divortio*, non ad-

mittitur uxor adulterij post injustam expulsiōnem Commissi excipiens contra virum accusatorem.

## §. V.

## Quæ liceant, aut non liceant uxori circa bona mariti?

29. **D**ixi circa bona mariti, quia circa bona paraphernalia potest plenè, ac licitè disponere secundum jus Commune per *n. 85.* ad ea pertinent ipsi legata, donata, & industriâ propriâ acquisita per *n. 88.* imo & ea, quæ sibi conservat parçè, & modestè vivendo ex illis, quæ maritus ipsi donat ad sumptus congruos sibi juxta conditionem statûs. An etiam de paraphernorum genere sint bona, quæ acquirunt adultera ex turpi Corporis usu, DD. dissident: negant Molin. Banez &c. attribuentes illa marito utpote Domino corporis uxoris. Tambur. verò *lib. 7. in Decal. C. 5. §. 3. n. 22.* approbatuâ Gormaz *D. 9. n. 516.* & alij volunt esse uxoris, quia vir non est plene Dominus Corporis uxoris, sed ita ut illo queat uti in conjugali debito.

Et cum usufructus dotis spectet ad maritum, hinc etiam ille est inter bona mariti. Quid de reliquis bonis? constat à *n. 85.*

Dicendum est quod uxor etiam ex proprijs paraphernis dives habeat jus ad alimenta per *n. 91.* non est administratrix bonorum mariti, & dotalium, nisi Maritus domo absit, aut sit amens, sed nec tunc, si Magistratus, aut vir aliter disposuerit: quia tamen etsi non sit Domina, est tamen socia mariti, ei licent omnia,

quæ alijs uxori, secundum morem sceminarum aliarum, sui statûs: expendens autem quid notabile ultra hoc ex bonis mariti proprijs, aut utriusque communibus, aut dotalibus peccat mortaliter contra justitiam cum obligatione resarciendi, nisi maritus tantundem prodegerit ex bonis uxoris: tunc enim est mutua compensatio, aut etsi non prodegerit maritus: hic tamen facillè concederet uxori hujusmodi sumptus, vel consilio prodigè expensas nolle sibi restitui ab uxore si rogaretur, ita Lugo *Diss. 28. n. 53. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 10. n. 16.* uxor enim ex tali præsumpta voluntate usurpans bona mariti non est fur, quia ad furtum requiritur positiva Domini voluntas retinendi jus suum adversus alterum. Vide superius *n. 44.* Ex his

93. Infero primò posse uxorem occultè compensare, si maritus partem dotis, aut paraphernorum absumpit, dummodo caveat, ne ob ignoratam compensationem à morte mariti sibi, aut suis heredibus portio compensata restituatur *Lefs. lib. 2. c. 12. n. 87.*

Infero secundò durante penes uxorem administratione potest facere sumptus non tantum, quos tolerat maritus, sed etiam alios quos judicat prudenter fieri posse *Lefs. n. 86.*

Infero Tertio uxor potest ex bonis

com.

communibus facere expensas necessarias (quas maritus ex avaritia aut negligentia, vel ignorantia non facit) ad avertendum grave malum mariti Corporale, ut morbum, Carcerem &c. malum enim viri redundat in damnum uxoris, ergo habet jus avertendi illud Lefs. n. 85. probabilius extendens ad avertendum damnum Spirituale v. g. ut agat poenitentiam, vel amplectatur veram fidem contra Gobat Molina. quia utilissimè gerit negotium mariti.

Infero quartò potest uxor ex bonis communibus succurrere liberorum necessitatibus ac familiæ in viri neglectu, quia tunc nequit esse rationabiliter invitus: hinc dum vir dilapidat, potest uxor clam surripere necessaria ad sustentationem familiæ, partemque suam salvare Lefs. n. 87.

Infero quintò potest ex communibus secundum morem mulierum sui statûs expendere in victum, vestitum, ludos, recreationes Eleemosynas &c. unde potest indigis suis parentibus, aut liberis prioris matrimonij, aut fratribus aut sororibus succurrere dummodo in hos Eleemosyna facta juncta eleemosynis in alios pauperes non excedant summam statui suo, & facultatibus competentem Lefs. n. 85. 88. & sequentibus allegans *L. manus 73. ff. de jur. dot.* quæ expressè loquitur de necessitate alendi patrem, fratrem, aut sororem. Ratio quod honesta uxoris sustentatio se extendat etiam ad largitiones, ad quos jus naturale obligat. Vide Gob. *Theol. Juridico-Moral. c. 24 mihi à n. 44.*

Illationes præsentis locum habent



N 2.

§. VI.

etiam in uxoribus indotatis quia etiam his competit sustentatio secundum statûs congruitatem, nec DD. faciunt differentiam teste Gob. n. mihi. 51. Ex dictis etiam locus si in defectu communium fiunt expensæ præfata ex proprijs Mariti, & dotalibus Gob. n. 52. post Navar, Raginal. &c.

Illud est juris incerti, utrum uxor habens propria possit suos prioris matrimonij liberos, Parentes, aut fratres juvare ex bonis communibus, aut in horum defectu ex proprijs Mariti: ex proprijs debere præstare ex communi tradit Gob. n. 53. proinde expensas factas ex communibus debere uxorem postea referre in suam partem tempore portionis bonorum communium cum Mariti hæredibus; at n. 56. esse oppositum probabile censet. Verum si suos consanguineos juvet Eleemosynis etiam in unum congregatis, quas potest uxor ex communibus (si hæc adfunt) aut ex Mariti proprijs in defectu communium facere in alios egentes, nullam agnoscit culpam Molin. *Disput. 274. §. quia ergo n. 12.* etsi aliquanto pinguior fiat illis Eleemosyna, nec apparet obligatio in partitione cum hæredibus Mariti computandi in partem suam hic expensa, aliàs etiam Eleemosynas in alios pauperes factas deberet referre. Eiusdem Sententiæ est Lugo *Disput. 16. n. 72.* in cujus initio tradit oppositum si uxor habet paraphernalia, aut bona alia cum libera administratione. Hæc opinio, cum sit communiore calculo recepta videtur præferenda.